
HERINGIUS,

...IBUS

163







XII

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON



ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

HERINGIUS, H.

65437/A

XII, 1

Σχεδίασμα ἰατρικὸν

Conſilium Medicinale extemporaneum

FEBRIUM

ERRATICARUM PER ORAS haſce Septentrionales longè latequè diſſeminatarum & planè domeſticarum

THEORIAN & THERAPIAN

per

Aphoriſmos breviter delineatam exhibens.

Concinnatum

Ab

HONORIO HERINGIO

A. F. Illuſtr. & Generoſiſſ. Comitis Oldenburgici in Dynaſtia Jehverana p. t. Medico ordinario.



BREMAE

TYPIS WESSELIANIS & ſumptibus GEORGII HOISMANNI Hæredum

ANNO M DC XXXVIII.



AD LECTOREM MEUM BENEVOLUM ET CANDIDUM

[Cujuscunquè status is & conditionis fuerit]

PRÆFATIO.

PErpendēti mihi seu pensiculatius examinanti, LECTOR BENEVOLE ET CANDIDE, perditissimis novissimi hujus seculi temporibus modernum & communem communis nostræ patriæ

ſtatum, accommodatum ſatis & appoſitum videtur illud D. Auguſtini: Vita hæc vita dubia, vita cæca, vita ærumnoſa, quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exſiccant, eſcæ inflant, jejunia macerant, joci diſſolvunt, triſtitiæ conſumunt, ſollicitudo coarctat, ſecuritas hebetat, divitiæ jactant, paupertas dejicit, juventus extollit, ſenectus incurvat, infirmitas frangit, mœror deprimit,&poſt hęc omnia mors interimit, univerſis mundanis gaudiis finem imponens: ita ut quum oculotenus deſierit eſſe πομφόλυξ ὁ ἄνθρωπος, nec unquam

quam fuiſſe putetur. Et ſanè hoc in paſſu ſuæ quisquè faber eſt fortunæ; quotusquisq; enim hodiè reperitur, [& habitum externum obiter ſi ſpectes] qui non potius Alemodicus quàm Alemannus vel Alemannic⁹ videri velit, proindequè mutuatis & affectatis geſtibus varioquè veſtitus genere ſe delectat, adeò ut non ineptè in ipſum quadret fabula, illa qua traditur, Lunã exoraſſe ſuam matrem, ut ipſi tuniculam texeret convenientem; illam autem dixiſſe: & quomodò convenientem texam? nunc enim te non plenam video luce, mox verò lunatam, interdum autẽ undiq;

tumentem. Sed hæc per transennam. Interna hominis si contemplêre, [ut de aëre nihil dicamus] quàm dispar est hodiè diæta, & quantum ab avita illa primaquè degeneravit? quisnam hodiè est, qui simplice mensa cibisquè pauperibus contentus sit, & non potius saliarib⁹ epulis seu vix numerandis ferculis inhiet, vel ganeam Sardanapali, voluptates Persicas, mensas Medicas, delicias Asianas, & Sybaritica convivia expetat? Pocula & immania horum certamina quod attinet, plerisquè nihil hodiè minus hominis videtur, quàm iis, à quib⁹ provocêris scyphis voluptuosè quidem

dem sed sine voluptate plerumquè exsiccandis & exhauriendis non respondere? Atq; hinc procul dubio fit, quod τὸ ποικίλον τῆς διαίτης etiam ποικίλα νοσήματα pariat, stipendium non solùm absurdissimi illius desiderii matris Evæ, sed tanquam hæredium atquè supplicium luxuriæ omnium nostræ indidem ad nos trallatæ. Ex horum grege Scôrbutus πολύμορφος seu Alemodicus, [liceat uti barbaro illo & communi vocabulo] faciemquè multifariàm fucatam præ se ferens cùm sit, omittere haut potui, quin observatu quædam digna de eo posteritati relinquerem, præsertim cùm

hiſce in noſtris & vicinis oris Febres Erraticæ ſeu Scorbuticæ ſat communes & fermè domeſticæ hoc & præteritis annis factæ fuerint. Cæterum, ut ſcopum tandem attingam, quemadmodum ii, qui magnum quippiam & arduum, ſeu ponderoſum in Rempublicam literariam contulerunt,

Egregiam referunt laudem,
& memorabile nomen;

ita nec illos planè reprehendendos cenſeo, qui in opere aliquo [quantumvis levidenſi] divulgando non tam propriæ oſtentationi vanæquè gloriolæ, quàm bono publico à quovis bono medullitus

pro

promovendo velificantur. Et certè Medico verè rationali, q nihil ſine ratione decernit, & tentat, nihil ſine conſilio & prudentia agit moliturvè, ſed accuratè magna cura & ſedulitate præſentia, quæ infeſtant mala cognoſcit & perpendit, atquè κατὰ δύναμιν καὶ κατὰ κρίσιν [hoc eſt, quantum viribus & judicio aſſequi valet] profligat, futuraq; prædicit, nihil magis incumbit, quàm ut pro ægrotantiũ vigilet ſalute: his quippe totus debet eſſe mancipatus, imò propter hos nihil non recuſare debet periculi ſubire ſæpè, ac nullis parcere laboribus, ſequemet ipſum alienis emacerare calamitatibus, etiamſi ſolicitudine totus


exhauriatur, atquè ex aliorum damnis proprias sibi demetat molestias, tantummodò ut ea, quæ fieri debent in Medicina, rectè præstet, ipsosquè ægrotantes ab infestantibus periculis & ipsa quandoq; morte queat vindicare.

Cùm itaquè hasce lucubratiunculas non tam proprii nominis aucupii quàm tibi [Momum insultantem nil moror, apud quem forsitan si tacuissem, Philosophus mansissem] inserviendi causa typis exscribi passus fuerim, tuum erit, eas illo, quo à me profectæ sunt, animo, tamdiu accipere, donec tandem aliquando, Deo dante, vitaq; superstite, meliora ac majora à me consequare. Inter B.V. & salve plurimũ.

Jehveræ è Musæo meo Pridiè Idus Octobr.

Anno post natum Christum 1639.

I.N.J.



I. N. J.

I.

GERMANIA nostra, quondam amœnissima pro constantissima inter omnes fermè populos semper habita hodiè πολύμορφος [verius forsitan πολυμορφιζόμενον ὄχλον ἢ μολυμορφότατον ἢ παντόμορφον dixeris] variegatas & in singula penè momenta evariantes etiam propter morem vivendi varium persentiscit ærumnas, nec immeritò: crescentibus enim delictis exasperari pœnas jamdudum efflagitavit necessitas. *Prooemium*

II.

In malorum autem illorum censum [ut de bello fameque nihil dicamus

camus

dicamus]maximè veniunt non solùm infirmitates in universum omnes humano corpori bellum inferentes; verùm etiam morbi quidam alii mutatis subinde formis seu faciebus innovatis redeuntes, atquè adeò exercitatissimos etiam quosq; Medicos non raró exercentes, ex quibus Febres saltem Erraticas hoc anno loca maritima reliquaquè contermina populariter peragrantes &planè domesticas factas excerpere, dequè iis posteritati [cui meritò inserviendum] aliquid relinquere propositi nostri jam est: etenim

Quod Medicorum est
Promittunt Medici, tractant fabrilia fabri:

III.

Antequam tamen ad ipsam harum febrium delineationem deveniamus, primò distinctio illa non abs re præmittenda videtur, qua præ-

præter alias morborum differentias à Medicis recenſitas Morbi quidam dicuntur Endemii ſeu ἐπιχώριοι & populares; quidam Epidemii ſeu Pandemii & communes: hiquè iterum vel λοιμώδεις; vel μὴ λοιμώδεις, hoc eſt, vel Peſtilentes, vel non Peſtilentes. Scörbutus, ærumnoſus partium alioquin carnoſarum morbus, ac roboris earundem decoctor, malum Septentrionalibus hiſce regionibus maximè familiare, cum ſuis febribus [quarum tractatio in præſentia ſuſcipietur] ambidexter eſt, pro varietate ſeu concurſu cauſarum nunc Endemium ſe oſtentans, nunc Enpimium: & ſanè nullus ferè morbus eſt, ſub quo ſchematicè non latere, aut cui non aſſociari Scôrbutus cum pediſſequis poſſit.

IV.

Atquè ut initio deſcriptionem quandam moliamur definitur non *Definitio.*

in-

incommodè FEBRIS ERRATICA seu SCORBUTICA [sive Endemiam sive Epideamiã dixeris non multum refert] affectus præter naturam, reliquarum febrium naturam quodammodò exprimens, attamen in accessionibus inordinatus, nullumquè typum observans, multos simul invadens, paucos perimens, peculiari quadã malignitate præditus, proindequè quodammodò contagiosus, actiones corporis subitò & manifestè lædens, omnisquè generis gravium ac perniciosorum symptomatum fertilitatem quandam inducens. Græcis πλάνης πυρετὸς; Germ. **Ein gemein herumschleichend / ansteckend / vnnd geschwind anstossend Fieber** appellari potest.

V.

Subjectũ seu pars affecta Subjectum harum febrium primarium COR est; secundarium verò totum corpus cum omnibus & singulis suis partibus, id quod

cum

cum aliis febribus ipsis maximè commune est.

VI.

Differentias harum febrium si spectes, mutatio earum varia est: quandoquè enim lentæ sunt & continuæ; quandoquè intermittentes, typum quidem quendam vel quotidianæ, vel tertianæ, vel quartanæ quodammodò repræsentantes, verùm notis aliarum febrium destitutæ inæqualitatem maximam in circuitibus servantes, seu non uno eodemquè modo per curriculum reduces; nonnunquam & pestilentes malignasquè mentientes, verùm in pluribus ab iisdem discrepantes, ut ex Autoribus, qui de Scorbuto scripserunt, videre est, inferiùsquè in signorum enumeratione patebit. *Differentia*

VII.

Causas quod attinet, primum causarum generum genus à Cacochymia *Causæ*

chymia & colluvie scôrbutica primùm in primis viis coacervatâ, postmodumquè ad venas & arterias trallatâ, seu humorum vitioforum, corruptorum, & peculiarem seu propriam, atq; ab aliorum morborum malitia specie & forma discrepantem totiquè substantiæ adversam putredinis & malignitatis gradum sortitorum apparatu proventuvè ubrrrimo ex usu rerum sex nonnaturalium à Medicis dictarum illegitimo contracto dependet. Atquè hujusloci sunt: Aër vitiosus, præsertim squalidus, præteritis Canicularibus maximè perceptus, duplici modo [attractu scilicet & ambitu] corpus afficiens; cibi & potus Scôrbuto generando accommodati, quales sunt præter δημήτρεια σπέρματα etiam reliqua alimenta usitata σκύβαλα καὶ κόπρα post se relinquentia, succursum genitum non ineptè dixeris, cum à lautitia

victusq; elegantia morbi hoc genus ferè [sed non semper] exulet. Insuper somnus & vigiliæ, motus & quies, excreta & retenta, animiquè pathemata, omnia modum non servantia; inhabitatio uvidarum ædium coassationibus seu tabulatis ligneis carentium, quo referri etiam possunt fornaces illæ cibis coquendis destinatæ, & non solùm in gurgustiolis perangustis, verùm etiam in domibus alioquin quoad adspectum sat augustis conspicuæ, vulgò Ofiken oder Ovveken appellant, &c. de quibus causis omnibus uberius in tractatibus de Scörbuto agitur, quorsum Lector hac vice remittitur.

VIII.

Alterum αἰτίων genus Contagium meritò censetur, quod ad febres hasce disseminandas non parum confert. Sicuti enim Scorbutus per se aliàs malum est utplurimum σύμ-

φυτον

φυτον καὶ συγγενὲς, prætereaq; ſucceſſu temporis plerumq; ξύντροφον evadit: ita etiam quandoquè fieri aſſolet,ut non ſolùm μιάσματα ſeu inquinamenta illa Scôrbutica diutius in individuis detenta fomentataquè primò malignitatem ſeu putredinem peculiarem adepta, dein per ſe occaſione quadã commota ſpontè ſuccendi; verùm & per συναναχρῶσιν, ἢ ἀπόῤῥοιαν, ſeu νοσερὴν quandam, uti vocant, ἀπόκρισιν, de corpore in corpus facili negotio diſpergi poſſint.

IX.

Signa. Cæterùm ad ſigna properandum jam eſt: hæc enim latentem hoſtem in publicum quodammodò producent. Reliquarum febrium notas hoc loco exprimere conſultum non eſt, Mimo perſonatè in ſcenam ſeu theatrum procedenti larvam detraxiſſe, diſcerniculaquè ſeu ſigna quædam diſtinctiva & maximè

ximè Pathognomica hîc potius recensuisse sufficiet, cùm illud ipsum sit, quod in hoc passu maximè dispiciendum,

Nec vis urgentius ullum: etenim si affectum non nôris, ne mirêre, si frustrà manum admôris. Et certè febres cum Scörbuto non curantur integrè, si Scörbuti curatio negligatur; imò si indicationes, quas febris suppeditat, solùm attendantur, æger sæpè non parum læditur: quæ res etiam facit, ut febres hodiè sæpè tam morosæ sint & diuturnæ, quod latens sub iis Scörbutus non semper attenditur & cognoscitur, febresquè tales diuturniores vires sæpenumerò dejiciunt, ægrumquè interficiunt, aut alium quendam graviorem morbum accersunt.

X.

Arguunt autem hasce febres præter alia aliarum febrium signa, quorum

rum plurima Scôrbutp tamen ſi-
mul familiaria [ceu ſunt : vomitus,
diarrhæa, Cephalalgia, lipothymia,
vigiliæ, deliria, ἀνορεξία, κώματα,
hæmorrhagia natium, ſitis cum fau-
cium ariditate conjuncta, & ſimilia]
heîc concurrere planè diffitendum
non eſt, non ſolùm typi inordinati
ſeu ἐπισημασίαι ἢ εἰσβολαὶ, erroneæ
& vagabundæ; verùm etiam urinæ,
pulſus, ſanguis per ſectam venam e-
miſſus, reliquaquè ſymptomata
Scôrbuto maximè propria, veluti
ſunt: anxietas circa præcordia, ſeu
anguſtia pectoris modum fermè
excedens, inquietudo propemo-
dum intolerabilis, membrorum
diſcurrentes lancinationes ſeu velli-
cationes, fætor & difficultas anhe-
litus, laſſitudo inſolens etiam ultrà
declinationem aliquandiu proten-
ſa, cumquè morbi hiſtoriam ſuam
lentè abſolventis diuturnitate reli-
quas malignas febres excedente
con-

conjuncta, maculæ seu lituræ in quibusdam subjectis erumpentes, & si quæ sunt ejusmodi alia: quibus etiá lædentia & juvantia adnumerare non abs re fuerit.

II.

Ex hisce porrò Prognostica facilè fabricari possunt. Quò etenim febres hæ symptomatibus stipatæ mitioribus fuerint, vades erunt haut fallaces eò minus periculi ægrotis impendere; contrariũ pronunciandum, si secus fuerit. Ubi insuper notandum, putredinem heîc superare malignitatem, eò quod multi his febribus corripiuntur, pauci verò intereunt: sicuti nec hoc negligendum, quamvis ab Astrologis [quam scientiam neq; ipse penitus ignoro, neq; modò interminis maneat, & superstitio absit, prorsus damno] febres hæ pro Prodromis morborum aliorum Epidemiorum subsequentium [quod tamen Deus *Prognostica.*

aver-

avertat] habeantur; tamen maximè in quartanas, Icterum, hydropem seu aquas cutem subeuntes, Cachexiam, ipsissimumq; Scorbutum se satis superquè imposterum manifestaturum, & similia mala, præsertim in avidis ὕδρο καὶ γαλακτοπόταις, degeneraturas, uti experientia forsitan declarabit. Qui enim diætæ se non adstringi patiuntur, quiquè in assumendis medicamentis difficiles & morosi sunt, rarò integrè ab his morbis liberantur, sicuti contrà ex facili sanescunt, qui cum diæta accommodatissimis & maximè ad affectum facientibus medicaminibus ritè suppeditatis utuntur. Quod si tamen ob materiam vitiosam & malignam in corpore diutius detentam, suffocatam, seu infarctam, non verò penitus expurgatam, sicquè clam cuniculos agentem, ulteriusquè postmodum per tempestatem hanc pluviosam,

& nebulosam indies perdurantem solumquè uliginosum factum Pestilentes morbi quandoq; his succedant, mirum non erit.

XII.

Προφύλαξις seu Præservatio maximè in legitima rerum sex non naturalium dictarum observatione; corporis à περιττώμασι seu humorum vitiosorum infarctu per generalia debito modo vindicatione; tempestiva specificorum quorundam usurpatione; & deniquè contagii, quantum fieri potest, & officii ratio concedit, declinatione consistit, quæ omnia in aphorismis subsequentibus uberius explicabuntur. *Præservatio.*

XIII.

Curationem deniquè harum febrium quod attinet, ut in aliarum febrium cura fieri consuevit, ita & hîc illa triplici perficitur remediorum genere, scilicet: Cheirurgiâ, *Curatio.*

Phar-

Pharmaciâ, & Diætâ, de quibus nunc ordine agendum.

XIV.

Atquè ut à Cheirurgia exordiamur: antequam Venæſectio inſtituatur, ante omnia primæ viæ [in quibus malum in initio non raro ſtabulatur] à ſentina ſeu ſaburra pravorum humorum vel leni aliquo ἐμετικῷ, vel Enemate, vel ἐκκοπρωτικῷ, vel deniquè in nonnihil robuſtioribus blando aliquo καθαρτικῷ, & quidem Catholico ſeu Panchymagogo quodam, [cùm materia Scörbutica non ſit ejusdem ſubſtantiæ, ſed ex diverſis humoribus miſta] prout humores vel ſurſum vel deorſum vergunt, liberandæ ſunt, ne per ſectam venam inquinamentum illud putredinale ſtatim ad venas adeoquè in totum corpus rapiatur, quorum deſcriptiones quasdam ſubjungere viſum eſt:

Vo-

Vomitorum lene.

Rec. Aq. hord. opt. clarif. ℥ix.
ol. commun. ℥ij.
butyr. recent. ℥j.

Misce; sumatur tepidè una vice.

Aliud mediocre.

Rec. Rad. asari
betonic.
raphan. ana ℥ß.
sem. aneth.
atriplic.
eruc. ana ʒiß.
f. omn decoct. ex aq. hord. ad remanent. ℥vj post. col. & exprim.
Colat. clarific. adde
olei commun.
oxymell. s. ana ℥iß.
Misce, propinetur tepidè.

Chymici vitriolum album vomitivum, sal vitrioli, pondere ℈iß. ℈ij. vel ʒi. & alia nonnunquam cum cerevisia tepida exhibent, quos si quis sequi volet, ei per me integrum esto.

Clyſter emolliens, abſtergens, & leniens.

Rec. Herb. 4. emoll. aa. Mj.
patient ☉ toto
abſinth.
Centaur. min.
praſſij ſeu marrub.
agrimon.
chamædr.
ſcordij
cuſcut.
lupul. ſalictar.
betonic.
fumar.
becabung.
cochlear.
acetoſ. ana Mß.
Radd. 5. aperitiv.
ſcorzoner.
pimpinell.
angelic.
malvæ
cichorei ana ℥ß.
flor. cham. rom. Piij.

Hord.ex cortic. Miij.
Prunor.exoſſat.Par xij.
Paſſular.min.conquaſſat.℥vj.
Tartar. albiſſ. ʒvj.
ſem. 4. frig. major.ana ʒj.
aniſi
fænic.
carvi ana ℈ij.
f. omn decoct. ex brod. gallin. non ping. ſeu ſeri lactis, ſi haberi poteſt, caprini ſ. q. ad conſumpt. med part.poſteà colentur & exprimantur.
Colat.Rec.℥ix.
diſſolv.in iis ſ.ign.
Elect.Diacatholic. ℥iß.
adde
Rhodomelit.ſ.mell.roſ.ſol.ſ. vel anthoſat. ℥ij.
ſacch.Thom.℥ß.
Lap.prunell.℥ij.
M. pro Clyſtere ſeu Enemate.
Reman. decoct. ſerv.ad uſum.
Potio Lenitiva.

Rec. Decoct. comm. flor. & fruct. absquè fol. seni cum aq. hord. vel seri lactis ʒ. q. fact. ℥ij ß.

dissolv. in iis ʒ. ign.

Elect. Diacathol, [vel Lenitiv.] ℥j.

adde

vel { Syr. rosat. solut, / Syr. viol. solut. / Mell. rosat. solut. / Mell. viol. solut. } ℥iß.

Pro constitutione personarum & humorum,

Acidit. seu cremor. Tartar. [vel Tart. Vitriol. fix. vel Tartar. chalybeat.] ʒj.

spir. salis gutt. vj.

M. F. Potio.

Aliam qui amat formã, pro suo genio illam ipsam concinnandam curari poterit, nos hac vice brevitati studemus.

Apozema seu Decoctum aperitivum

tivum & præparatorium commune.

Rec. Spec. pro decoct. comm. flor. & fruct. usual. q. s. Polypod. q. aper. ℥iß.

Herb. fumar.
agrimon.
eupatot. Mesues
epatic.
cuscut.
ceterach s. scolopendr.
betonic.
absinth.
carduiben.
thymi
cuscut.
cent. minor.
chamædr.
acetos.
acetosell.
becabung.
cichor.
endiv.
lupul. salut.

cochlear.
adianth. f. capill. vener.
ana Mß.
Radd. 5. aperitiv.
scorzoner.
cichor.
borrag.
bugloss.
rhapontic. ana ʒß.
cort. rad. cappar.
fraxin.
tamarisc. ana. ʒij.
Tartar. albiss. crud. ʒvj.
Flor. epatic.
cichorei ana Pi.
(cordiales in speciebus positæ sunt)
Epithym. Cret. ʒijß.
cort. citri
aurant. ana, ℈v.
Sem. 4. frig major. ana ʒiß.
anisi
fænic.
carvi ana ʒj.

Zin-

Zingib.
galang.
cinam. ana ʒß.
f. omn. decoct. ex aq. hord vel seri lactis s. q. ad consumpt. med. part. posteà cum forti expressione col. clarific. & usui serv.

Potio purgans.

Rec. Decoct. præced. fervefact. ℥v.
Infund. in iis p. n.
Fol sen. Alex. s. s. ℥vj.
Rhab. elect. ℈iiijß.
Agar. trochisc. ℈iijß.
spicæ Indic.
squinanth.
sant. citrin. ana ℈ß.
Manè levi ebull. præmiss. col. & exprim.
colat opt. clarific. adde
syr. de cich. c. rhab ℥j.
Diaser. Andern.
ex mult. infus. ros. ana unc. ß.
spir. salis gutt vj.

M. f. Potio.

Potio alia.

Rec. Decoct praeced. ferv. ℥v.

Infund. in iis p. n.

Fol. sen. l. s. ʒvj.

Agar. trochisc ℈v.

Rhab elect ℈iiiß.

spicæ Indic.

squinanth ana ℈ß.

Zinzib.

galang. ana gvj.

Manè levi ebull. præmiss. col. & exprim.

Colat opr. clarific. add.

Mell. ros. solut. ℥iß.

Syr Diaser. Andern. ʒvj.

Aq. cinam. ℥iß.

spir. salis gutt. vj.

M f. Potio.

Alia Potio.

Rec. Decoct. præced. ferv. ℥v.

Infund. in iis p. n.

Fol. sen. Alex. s. s. ʒvj.

Rhabarb. elect.

Agar.

Agar. troch. ana ʒj.
spicæ Indic,
squinanth. ana ℈ß.
Manè levi ebull. præmiss. col, & exprim.
colat. opt. clarif. adde
syr. de polypod. ℥j.
de fumar. ʒvj.
Diaser. Andern. ʒiij.
Tinct. chalyb. gutt. viij.
Aq. cinam. ʒj.
spir. salis gutt. iiij.
M. f. Potio.

Potio alia Catholica.

Rec. Decoct. præced. unc. vj.
Infund. in iis p. n.
Fol. sen. Alex. s. f. ʒvj.
Mechoac. elect. ʒiß.
Agar. trochisc.
Rhabarb. elect. ana ʒj.
spicæ Indic.
squinanth. ana ℈ß.
Zinzib.
cinam. ana gvj.

Manè levi ebullit. præmisſ, col. & exprim.

In colat, diſſolv. ſ. ign.

Elect. Diacatholic. ℥vj.

adde

ſyr, Diaſer. Andern. unc. j.

de cichor. c. rhab.

mell. roſ, ſolut. ana ℥iij.

Crem. Tart. ℈j.

Aq. cinam. gutt. viij.

Tinct. chalyb. gutt. vj.

ſpir. ſalis gutt. iiij.

M. f. Potio.

Si quis Extractis purgantium, ut fol. ſen. Rhab. Agar. Mechoac. &c. gaudet, iis uti poterit.

Pro fœmineo ſexu aliiſquè delicatioribus naturis hæc omnia prudens Medicus variare & attemperare ſciet.

Pto minorennibus ſeu Puerulis Puellisvè talis potiuncula concinnari poteſt:

Rec. ſyr. Diaſer. Andern, unc. j.

de

de cich. c. rhab.
ſyr. vel Mell. roſ. ſol. ana unc. ß.
ſyr. de acet. citri ℥iij.
Aq. fumar.
acetoſ.
cichor. ana q. ſ.
ad diſſolvend. vel ſyr. liquidior. conſiſtent.
M. f. Potiuncula.

XV.

Quod ſi quis febres haſce purgantibus initiò fortiotibus, ceu Mercurialibus, Antimonialibus, Scammoniatis, [Elect. roſat. Meſ. & Nicol. in robuſtioribus corporibus excerpo] Colocynthiacis, aliisq; medicamētis calidioribus adoriri velit cōſultoré me nō usquequaq; habebit, cū experiētia evincat, malū hiſce & ſimilibus exaſperatū, plurimosq; ſubito animi deliquio [quod aliquando in leniorum uſu vix præcaveri poteſt] ac ſuffocatione enecatos eſſe; inſuperquè aſſiduis, præſer-

tim

tim vehementioribus, purgationibus plurimos ad perfectam membrorum devolutos impotentiam; & deniquè à Catarthicis semper irritari, rarissimè mitigari Scôrbuticorum symptomata ex traditione satis constet.

XVI.

Atq; sic primis hoc modo viis evacuatis presêre πολυαιμία seu Plethorâ sanguinisvè abundātiâ, venæ Medianæ, quā vocant, vel alterius cōvenietis, sectio institui potest, ita tamē, ut accessionum, aliarumq; circumstantiarum, ætatis scilicet, sexus, temprum anni, & morbi ratio habeatur: non enim in paroxysmo, nec mox ante eum vena ferienda est, sed morbo aliquo pacto inducias dante, sicuti etiam nec multum sanguinis detrahendum, cum largiorem sanguinis missionem hic morbus respuat: neque etiam ultrà quartum diē Phlebotomia differenda est.

XVII.

XVII.

Hucusque Chierurgia cum Pharmacia quadantenus mixta fuit: Quæ ex Pharmacia peculiariter desumuntur βοηθήματα, vel in ipso statu seu vigore, tam pro causę morbificæ symptomatum correctione adhibentur; vel etiam in declinatione ipsa subministrantur.

XVIII.

In vigore & statu morbi pro causæ mortificæ aversione in ipso Paroxysmo, in intermittentibus, in continuis verò quovis tempore, ἀλλοιωτικοῖς seu alterantibus utendum, quæ tamen ita comparata esse debent, ut non solùm intemperiem viscerum inquinamento inviscatorum emendent, caloremq; febrilem attemperent; verùm etiam putredini ipsi resistant, malignitatemq; occulta & specifica aliqua proprietate compescant. Exemplum unum atq; alterum huic operi

peri & fini inserviens subjungere placet.

Julapium alterans & confortans pro ditioribus.

Rec. Aq. hord. opt. clarific. ℔iiij.

Aq. stillat. acetos.

becabung.

Carduiben.

endiv.

nymph.

cichor.

rosar. fragrant.

borrag.

bugloss.

violar. ana unc. iij.

syr. de acet. citri

è succ. acetos.

granat. acetos. [si haberi possunt]

rob ribium

berberor.

cerasor. acidiusc. ana unc. ij.

Juleb rosac.

violac.

succ. citri depurat.

mivæ

mivæ cydonior,ſ. ana unc,j.ß.
ſpir. ſalis
Vitrioſi ana q.ſ.ad grat,acid.
M. pro Julebo.

Utile quoq; cumprimis & neceſſarium hîc eſt Serum lactis cum paſſulis & tamarindis ſequenti modo percoctum:

Rec. Lact. quod haberi poteſt Menſ.unc.j.
Paſſular min. mund.& incìſar.℥.vj.
Tamarindor.unc.iij.

Coq.ſup.ign.ad conſumpt. quart. part.poſt col. & clarific. Doſis unc. iij. unc,iiij. ad unc. vj, add. jucundioris ſaporis cauſa vel Aq. roſac. parum, vel ſucci alicujus ſuprà ſpecificati portionem aliquam, prout cuiq; placuerit.

Pro plebeis & agreſtibus familiaq; tale apozema concinnari poteſt,

Decoctum commune
pro familia.

Rec.Hord integr.Mviij.
Herb. carduib.

ace-

acetos.
scabios.
acerosell.
becabung.
cichor.
endiv.
scord. cret.
vecon.
capill.vener.ana Mj.
Radd. cichor.
scorzoner.
pimpinell.
tormentill.
angelic.
chinæ
sars.parill.
liquirit.ras.ana unc. sem.
C. c. raspat. unc. iiij.
flor. 4. cordial.
calend. ana Pj.
sem. 4.frig maj.ana ʒi sem.
acetos.
citri
napi ana ʒi.

Pas-

Passul. min. ℔ sem.
corr. cit.
an. ant. ana ℈iiii.

F. omn. decoct. ex aq. font. limpiss. ad Mens. iii. vel iiii postea colentur, & ad usum in vase opt. clauso asserventur, add. seri lact opt. separat. Mens. i. ſ. Decoctum commune. Dosis ab unc. iiii. ad unc. vi.

Pro fumis adustis malignisvè vaporibus à corde principalioribusq; visceribus depellendis sequens Electuarium cum commodo estur.

Electuarium confortans.

Rec. Cons. ros. rubr. unc. i sem.
acetos.
acetosell.
flor. tunic.
cichor. ana ℥iii.
Menth.
borragin.
bugloss.
violar. ana ℥i sem.
rad. cichor. condit.

for-

Scorzon. condit.
cort. & pulp. citr. cond.
ana ℥vj.
ſpec. cord. de gemm.
diamarg frig.
ana ʒj.
Confect. Alcherm. c. ſpecieb. frig. ℈iß.
Cum ſyr. de acet. citri & è cortic. citri ana ſ. q. f. ſ. a. Elect. molle, add. ſpir. ſalis, Vitrioli ana q. ſ. ad grat. acidit.

Pulveres ſi quis amplectatur, ſequenti uti poterit:

Pulvis confortans.

Rec. Magiſter. ſ. eſſent. citri ℈iiij.
magiſt. ſ margar. ppt.
magiſter. ſ. corall. rubr. ppt.
C. C. Philoſoph. vel uſt. præpar. aa. ℈iß.
Terr. ſigillat.
Boli Armen. aa. ℈j.
unicorn. ver.

Lap. Bezoar, ana ℈ß.

M.F. Pulvis Alcohol. Doſis à ℈j. ad ʒi. in convenienti liquore.

Plura in Tractatu noſtro de Peſtilẽtia ſpecificata Lector æquus reperiet

Rotulas & Morſulos ſi quis deſideret, ſequenti modo concinnari poſſunt.

Rotulæ vel Morſuli confortantes.

Rec. Conſ. roſ. rubr. ℥ij.
pulp. citri ℥i.
Pulv. confortant. præſcript. ℈iiiiß.
ſpec. diamarg. frig. ℈iß.
Cum ſacch. in aq. roſ. fragr. ſ.q. diſſol. f.ſ.a. Confect. in rot. vel Morſulis.

XIX.

Pro ſymptomatibus, quæ hîc urgentiſſima quandoquè ſunt in ſtatu ſive in paroxyſmo, ſivè extra eundem & tempore ἀπυρεξίας intermiſſionisvè, non tamen perfectæ ſeu

seu absolutæ, averruncundis sequentia probè observanda veniniunt:

Nimirum quando Vomitus infestat, quantumvis initio promovendus ille omninò sit, si nimirum de peccante materia aliquid educat: tamen in progressu si nimius fuerit, [cùm symptomaticus sit, & viribus insidias struat,] ilicò compescendus est. Convenient itaquè hîc sequentia πλάδον seu ἀτονίαν ventriculi quodammodò corrigentia:

Electuarium stomachicum.

R, Conf. rosar. vitriolat. unc. i. sem.
menth. crisp.
acetos.
acetosell. ana. unc. sem.
carn. cydon. condit.
miv. cydon. s. ana ʒ iii.
cort. citri condit. ʒ i sem.
spec. arom. rosat. ʒ sem.

rosat.

rosat. novell.
plirisarcot. ana ℈i.
Cum syr. de acet. citri, rob ribium, & berberorum ana s. q. f. s. a. Elect. molle.
Potest & inunctio stomachi fieri cum oleo nucis moschat. express. superponendo Emplastrum sequens:
Emplastrum seu Cerotum stomachale.
Rec. ol. menth.
absinth.
masticbin.
cydonior. ana ℥iii.
rosat. complet.
nuc. mosch. express. ana ʒi sem.
Ther. Androm. ʒvi.
Boli Armen.
Terr. sigill. strigens.
C. C. ust. & præparat.
ana ʒi.
spodii de ebore
corall. utr. ana ℈ii sem.

ſpec. arom. roſat. ʒß.
xyloaloës ℈i.
ſantal. alb. ℈ß.

Ex omnibus invicem diſtemperatis & probè mixtis F. Maſſa ducenda ſuper alut. & calidè applicanda.

Verum in his obſervandum, ne niſi ſumma neceſſitate id exigente in ſtatu illa ſuppeditentur, cùm materiam circa præcordia detineant, eamque altius inprimant.

Cephalalgia ſi moleſta ſit, abigitur hæc ſequentibus [generalibus tamen ubiquè præmiſſis] remediis:

Epithema.

Rec. Aq. roſar. fragrant.
betonic.
nymphææ
verben.
becabung.
heder. terr. ana unc. ij.

Acet.

Acet. rosac. unc. iiij.
Nucl. persicor. No. viij.
sant. omn. ana ℈i.
caphur. gvj.
M. pro Epithemate fronti & temporibus applicando.

Potest etiam unguentum Alabastrinum post Epithema fronti & temporibus debito modo applicari.

Vigiliæ & Deliria si accedant, tolluntur indidem ea omnia sequentibus remediis pro morbi conditione iteratis.

Emulsio.

Rec. Amygd. dulc. unc. i. ß.
sem. 4. frig. major. ana ʒi.
minor. ana ʒ. sem.
papav. alb. ʒ i sem.
Cum aq. rof. fragrant. nymph. acetos. ana s. q. f. s. a. Emulsio, quæ dulcoretur tot. man. Christ. perlat. ʒvi. vel unc. j. in summa necessitate

add.

ad d Laudan. opiat. ritè præparat. giii, vel giiij.

Linimentum.

Rec. unguent. popul. unc. ſem.
ol. roſat. complet.
violat. ana ʒii.
M. pro Linimento.

Lipothymia & Axietas

ſequentibus depelluntur remediis: Potio confortans.

Rec. Aq. roſar. fragrant.
acetoſ.
borragin.
bugloſſ.
becabung.
violar. ana unc. i.
Aq. Carfunc. noſtr. deſcript. ſuo tempore exhibend unc. i ſem.
ſyr. de acet. citri
è ſucc. acetoſ.
rob ribium
berberor.

Juleb.

Juleb. rosac.
succ.citri depurat.
ana ℥ß.
Aq.cinam.ʒjß.

Misce f. Potio. Quibus solutio perlarum, auri, & lapidum pretiosorum Hermaticè præparatorum arridet, iis uti possunt, simplicia & gregaria hoc in loco nobis sufficiunt, sicuti nec officiet, Electuarium; suprà aphor. præced. citatũ sumpsisse, cùm illudipsum quoq; insignem cor confortandi vim habeat.

Linguæ & faucium ariditas hoc modo corriguntur:

Gargarismus leniens.

Rec. Aq.rosar.fragrant.
plantag.
acetos.
prunell.
salviæ
becabung.ana ℥iß.
Mell.rosat colat.
diamor.s.

robribium
berberor.
syr. è succ folior. & flor.
violat. ana ℥j.
Lap prunell. ℈iß.
M. pro Gargarismo.

Sitis quomodo compescenda, ex aphorismo 18 satis abundè patet. Reliquis symptomatibus ex putrilagine Scorbutica emergentibus planè eodem modo, ut in aliis febribus putridis & malignis fieri assolet, prospiciendum, nisi quod hîc specifica & ad morbum maximè facientia, seu alas Scôrbuto, ne illas ulterius explicare possit, præcidentia inferiùs citata admiscenda sint.

XX

Appropinquante jam declinatione, caloreque febrili vel planè evanido vel saltem remissiore facto reliquiæ ex omnibus tribus corporis regionibus propter recidivas [Græci ὑποστροφὰς ἢ ὑποτροπιασμοὺς appellitant]

litant] hîc ſubinde ingruentes ſeu repullulantes per ἐπίκρασιν explodendæ ſunt, cùm quæ in morbis poſt criſin relinquuntur, plerumq́; recidivas facere conſueverint.

XXI.

Quæ in primis adhuc hærent viis καθάρματα ſeu purgamenta, [non tamen, ſi opus fuerit, pro humorum rebellium conditione ſine prævio apparatu] ſcopis ſequentibus everri poſſunt: Nodulus purgans.

Rec. Polypod. q. aper. ℥vj.
Herb. fumar.
abſinth.
agrimon.
cuſcur.
ſcolopendr.
chamædr.
carduiben.
cent min. ana Pj.
rad. cichor. rhapont. ana ℥ß.

cort. rad. cappar.
fraxin.
tamar. ana ℥iß.
Flor. 4 cord. ana ℈j.
Tartar. albiss. crud. ℥ijß.
Fol. sen. Alex. ss. ℥jß.
Mechoac. elect. ℥ß.
Rhabarb. elect.
Agar. trochisc. ana ℥iij.
sem. anisi
fœnic.
carvi ana ℥ß.
zinzib.
galang.
cinamom. ana ℈j.
spicæ Indic.
squinanth.
sant. citrin. ana ℈ß.

Concisa & contusa omnia includantur Nodulo ex sindone alba vel linteo mundo consuto Mens. j. vini Rhenani opt. imponendo.

XXI.

Quæ in secunda corporis regione ve-

ne venosoque genere adhuc delitescunt περιψήματα seu quisquiliæ. per διεγητικὰ seu aperitiva commodissimè eliminantur, ubi sequentia in usum duci possunt: Apozema diureticum.

Rec. Radd. 5. aperitiv.
garyophyllat.
cichor.
petroselin.
oxylapath.
ononid. ana ℥ij.
Fol. chamædr.
chamæpit.
cuscut.
agrimon.
epatic.
fumar.
hyssopi
lupuli
scolopendr.
thymi
betonic.
origan, ana Pj.
flor. genist.

 cent.

cent.min.ana Pj.
Amygd.amar.
bacc.juniper.
nucl.perſicor.ana ʒß.
Paſſul.min.unc.iij.
Hord.excortic. Miß.
ſem.4.frig.maj.ana ʒj.

Concid. concid. & contund. contund. fiatq; decoct.ex ſero lact. ſ q.ad conſumpt. med. part. poſt. col.& clarific. Colat.adde

ſyr.de 2.
de 5.radd.ana unc.iij.
ſpir.ſalis ϑi.

M.& ſerv.ad uſum.Doſis unc.iiij usquè ad unc.vj uſum continuãdo.

XXII.

Quæ denique in tertia corporis regione adhuc detinentur & foventur ἐκκρίματα ſeu retrimenta, per διαφόρησιν optimè ſeu inſenſilem, uti vocant, traſpirationem exterminantur, ubi ſequentium uſus non contemnendus:

Apo-

Apozema Diaphoreticum.

Rec. Radd. gentian.
pimpinell.
valerian.
ariſtoloch.
angelic.
calam. aromat.
zedoar.
ari præpar. ana ℥ij.
cort. & lign. Guajac.
rhodii
ſaſſafras
farſ. parill.
rad. Chinæ
ſcorzoner. ana unc. ß.
Herb. cochlear.
naſturt.
carduiben.
ſcordii
aceroſ.
becabung. ana Mß.
flor. ſambuc.
calend.
4. cord. ana Pj.

sem, carduib,
dauci
napi
anisi
fœnic,
carviana ʒj.
bacc. junip. ʒiij.

Concid. concid. & contund. contund. fiatquè decoctio ex aqua fontana limpidissima ad cons. med. part. post. col. clarific. & usui serventur. Dosis ℥iij.

Potest & Decoctum commune suprà aphor. 18. citatum adhiberi: quinimò utilissima quoquè hîc sunt Aqua AntiScôrbutica nostra, & Aqua Hypochondriaca nostra, cùm ex specificis maximè constent; harum descriptiones sic habent:

Aqua AntiScôrbutica.

Rec. Herb. cochlear.
fumar.
nasturt.
becabung.

melisſ.
ſcolopendr.
abſinth.
carduib. ana Mj.
chamædr.
chamæpit.
cuſcut.
cent. min.
epithymi
lupul. ſalict.
ſalviæ
roriſmar. ana Mß.
Rad. raphan. ruſt. acerr. minut. inciſ. ℔iij.
Polyp. q. aperient. ℥jß.
Radd. angelic.
ari præparat.
helenij
calam. aromat.
pimpinell.
galang.
gentian.
ſcorzoner.
cort. rad. cappar.
fraxin.

tamar. ana ℥ß.
bacc. junip. contus.
cort. citri sicc.
aurant. sicc. ana ℥i.
antophyllor.
cinamom. acut.
macis
cardam. minor.
zinziber.
granor. Paradisi
nuc. moschat.
cubebar. ana ʒiſ.
sem. anisi
fænic.
carvi ana ʒiij.
eruc. ʒiß.
Flor. 4. cordial.
sambuc.
calendul.
lavendul.
lilior. convall. ana Piij.
croci orient. ver. ℥ß.
Concisis & contusis omnibus af-
fund. in vase opt. vini opt. Mens. iij.
seu

seu ℔ xij. seri lactis Mens. ij.

Aq. carduiben.

cochlear.

meliss.

becabung ana ℔j.

Stent in maceratione per dies aliquot, posteà s. a. destillentur. Destill. serv. in vitro ad usum. Dosis ℥iß. ℥ij. ad ℥iij.

Aqua Hypochondriaca.

Rec. Herb. epithym.

cuscut.

fumar.

meliss.

scolopendr.

betonic.

agrimon.

carduiben. ana Mj.

majoran.

chamædr.

chamæpit.

endiv.

absinth. roman.

eupat. Mesues

lupul. salict.
cent. min. ana Mß.
Polyp. q aper. ℥iß.
Radd. borrag.
buglosſ.
scorzoner.
cichor. ana ℥j.
pœon.
ireos Florent.
enul. campan.
pimpinell. fœnic.
asparagi ana ℥ß.
cyperi
dictam. alb.
asari
galang.
zinzib. alb.
calam. aromat.
apii
aristol. rotund.
garyophyllat.
rub. tinct. ana ʒij.
Flor. rosar. rubr. fragrant.
borrag.
buglosſ.

violat. ana Piiij.
stæch. Arab.
epatic.
anthos
tunic. ana Pij.
lavend.
sambuc.
schænanth.
spicæ Indic. ana Pj.
cort. rad. cappar.
fraxin.
tamarisc.
aurant. sicc.
citri sicc. ana ℥vj.
cinamom. ʒiij.
macis ʒiß.
sem. 4. frig. maj. excortic. 4. frig. min. excortic. pœon. excortic. ana ʒj.
anisi
fænic.
carvi ana ℈iiij.
citri
acetos.

ameos

ameos
dauci ana ℈ij.
ocymi garyophyllat. ʒß.
Tart. albiſſ. crud. ʒii.
Paſſul. min. inciſ. ſeu conquasſ. ʒviij
Tamarind. ʒiiii.
Myrobalan. Belliric.
chebulor.
Indor. ana ʒiiiß.
nuc. muſchar.
bacc. junip.
viſci quern.
cubebar. ana ʒiiß.
ſant. flavi
rubr.
alb. ana ℈iiß.
coriandr. præpar.
cardamom.
garyophyll. ana ℈iiiß.
xylolaloës
croci or. ver. ana ℈i.
conciſa & contuſa omnia infund.
per octiduum in
vini

vini alb. opt. ℔ viii.
seri lactis opt. clarific, ℔ iiij.
Aqq. stillatit.
rosar, fragrant.
acetos.
nymph.
cichorei
meliss.
violar. ana ℔ ij.
betonic,
endiv.
majoran.
salviæ
flor. cyan.
cerasor. ana ℔ i.
lil, convall.
flor; tiliæ ana ℔ ß.
adde
Theriacæ Androm,
Mithrid. Damocr. ana ℥ß.
Posteà lento igne destill. ad siccitatem. Destillat. adde
Fol. auri fini No xij.
Argent. fin, No vj.

Asserv.

Asserv. pro usu.

Dosis ℥iij. vel ℥iiij.

Si medicamenta hæc cuipiam suspecta propter calorem videbuntur, cum sero lactis vel sequenti modo ea attemperare poterit;

Rec. Decoct. Diaphoret. supra descript. ℥iij
Aq. acetos.
becabung.
carduib. ana ℥j.
Aq. Scôrbut. nostr.
Hypochondr. nostr. ana ℥iß.
rob sambuc. ℥ß.
syr. de acet. citri
è succ. acetos.
sceletyrb. Forest. ana ʒvj.
Mistur. s ʒj.
salis absinth.
carduib. ana ℈iß.

M. f. Potio pro 3. dosib. utatur eâ æger per triduum, semperquè sudorem in lecto tectus exspectet. Si quis aliis remediis tam ex Galenicorum

eorum quàm Chymicorum ſchola petitis;ut: Theriaca, Mithridatio, Aquis Theriacalibus, Bezoardico minerali, Antimonio Diaphoretico, ſulphure aurato Antimonii, & ſimilibus uti velit, ei integrum eſto, nos hactenus propoſitis contenti ſumus.

XXIII.

Ultimò viſcera principalia à morbo debilitata ad priſtinam temperiem reducenda ſeu confortanda ſunt. Ad horum itaq; coloniam pertinent: Conſerva roſarum, flor. tunic. acetoſ. acetoſell. menth. abſinth cichor. rad. cichor. condit. ſcorzon. condit. zinz. cond. cort. citri condit. cydon. condit. nuc. Indic. cond. rob ribium, berberor. miv. cydon. ſyr. de cortic. & acetoſ. citri, è ſucc. acetoſ. de cinamom. ſucc. citri, limon. aurant. ſpec. aromat. roſat. diambr. diamoſch. d. plirisarc. diarrhod. abb. diatr. ſant. diamarg. frig. cord. temperat.

perat. de gemmis, confect. nostr. cordial. iu Tract. de Melancholia specificata, de hyacintho, Cōfectio Alchermes, Elixir proprietatis Paracelsi, Extractum absinthii, spir. salis, vitrioli, sulphuris, crocus & tinctura Martis, & hujusmodi alia, è quibus æquus Lector excipere poterit, quæcunq; voluerit, hac tamen cautione adhibitâ, ut ea, quæ humoris hujus proprium vitium peculiari vi corrigere valent, semper addantur. Exemplum subjungere placet. Electuarium instaurans.

Rec. Conserv. ros. rubr. ℥iß.
acetos.
acetosell.
menth.
cochlear.
pulp. citr.
flor. tunic. ana ℥iß.
rad cichor. cond.
scorzon. condit.
cort. citri cond. ana ℥ß.

zinzib.

zinzib. in Ind. cond.
cydon. condit.
nuc. Ind. cond. ana ℥iß,
spec. arom. rosat.
diarrh. abb.
diatr. santal.
Plirisarc. ana ℥i.
cordial. temper.
diamarg. frig. ana ℥ß.
Tart. chalyb. ℈iiij.
Cum syr. de acet. citri è succ.
acetos. rob ribium
& berber. ana s. q. f. l. a.
Elect. molle, add. spir. salis, vitrioli ana q. s. ad grat. acidit.

XXIV.

Atquè sic Pharmacia absoluta est. Diætam quod attinet, cùm in hoc morbo ἀνορεξία seu cibi fastidium ægros maximè infestet, initiò conveniunt juscula seu offulæ omnis generis, ut caponum, gallinarum, vervecum, carnis bubulæ, pulti-

pulticula item avenacea, ſeu pulmentaria ex hordeo depilato parata, ptiſana ejusque cremor, ſorbitiones ex aqua cocta, addito butyro, modico ſalis, & vitello ovi, &c. In declinatione verò carnes animaliũ, piſces bonæ notæ, & cibi ſolidiores ex uſu erunt. Potus in ipſo ſtatu ſeu Paroxyſmo Julapium ſit ex refrigerantibus & confortantibus ſpecificis ſuprà aphor. 18. citatis, vel cereviſia tenuis, optimè defecata, & probè cocta, cui panis paratum intritum ſit, [German. **kalte Schalen**, & qui his maximè delectantur, **kalteſchalen Brüder** appellant,] in declinatione verò vinum abſinthit. Sequenti modo præparatum inter prandium & cœnam adhiberi poteſt:

Rec. Comar. abſinth. utr. ana Mj.
ſcolopendr.
meliſſ.
carduib.

cent.

cent. min. ana ℈j.
Flor. lavend. ℈ij.
bacc. junip. contuſ. ℥j.
cort. aurant.
citri ana ʒiij.
cort. rad. cappar.
fraxin. ana ʒij.
zedoar.
galang. ana ʒß.
card. min. ʒiß.

Conciſa & contuſa omnia g. m. includantur Nodulo 2. vel 3. vini opt. menſuris indendo.

XXV.

Delectus tamen intereà habendus eſt: quæ enim obſonia ægroto magis familiaria ſunt, ipſiusquè palato accepta, quæquè cum voluptate aſſumuntur, [modò morbũ non foveant,] ea, tametſi paulò ſint deteriora, aliis tamen ingratis minusq; jucundis longè multisquè paraſangis anteſtant.

XXVI.

Reliqua, quæ adhuc forſitan deſiderari poſſent, cùm ex generali & ſpeciali aliarum febrium & morborum curatione ſat abundè peti poſſint, ne actum agere videamus, repetere hoc loco operæ pretium non duximus, ſed ad Practicantes lectorem benevolũ hac vice ablegamus.

XXVII.

Atq; ſic per Dei gratiam harum febrium σκιαγραφίαν, ea, qua fieri potuit, brevitate ſeu compendioſitate abſolvimus: tuum nunc erit, Amice Lector, conatibus hiſce noſtris tamdiu favere, donec tandem, Deo dante, & vita ſuperſtite, uberiorem & pleniorem materiæ hujus elaborationem in Theatro noſtro Pathico, in quo quotidiè, ut lucem videat, deſudamus, conſequare. Interim benè valè, ac ſalve plurimùm.

SALVO MELIORI JUDICIO.

FINIS.



